

Foll. 20. 417

20.417

CONCERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM PUBLICAE DISPUTATIONI

EXHIBENT

D. D. JOSEFUS ALMIÑANA,

ET

JOSEFUS PÚYO,

PHILOSOPHIAE BACCALAUREI,

REGIAE AC PONTIFICIAE UNIVERSITATIS

OBSEQUENTISSIMI ALUMNI.

SUB AUSPICIIS

R. P. L. F. MARIANI ABAD,

ARTIUM MAGISTRI,

AC PHILOSOPHIAE CATHEDRAE MODERATORIS.

Concertationis Locus, Majus Academiae Lycaum.

DIE 10 MENSIS IUNII ANNI M.CCM.

ORIO LAE:

APUD ANTONIUM SANTA MARIA.

R. 20. 417

AD LECTOREM.

Hominum conditio fuit ab homine condito L. B. maximopere affici novitate, eaque, nescio, quo cordis aestu, & abripi, & antiquitate posthabita, vehementer delectari. Sed hisce praecipue temporibus in praeiudicium numquam satis ingemiscendum est adeo versa, ut iniucundius nihil cultores novitatis audiant, quam quod infatigabilibus vigiliis consignatum solidae sapientiae aemulatrix antiquitas reliquit. Ast, nobis singula ponderantibus, librantibus omnia, ultro, lubenterque fatentibus, rebus philosophicis maximum proculdubio decus accessisse Recentiorum cura (quin exantlatis horum laboribus, Peripateticum enervetur systema, imo admodum exornetur) in consilio est, & Antiquos enixim revereri, placitis eorum uti, non propter ipsos, sed propter ipsorum doctrinam, ratiocinandique robur, & Recentiores complecti, ubicumque fuerunt de natura optimè meriti. Igitur non partium studio, sed millies ratione consulti in eo adhuc sumus systemate, quod subsequens prodit Philosophica concertatio. VALE.

RECEIVED

D. O. M.

PHILOSOPHIA

IN UNIVERSUM.

Philosophia, sive sapientiae studium, praestantissima haec facultas, universim considerata, aptissimè describitur à Cic. lib. II. de officiis: *Rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hae res continentur scientia.*

2 Pro ipsa tamen sapientia haec vox usurpatur, quo sensu definiri solet: *Cognitio certa, & evidens rerum &c.*

3 Imperfecta licèt, existit talis cognitio.

4 Eius divissionem, in quatuor partes, Logicam, Physicam, Methaphysicam, & Ethycam, adaequatam iudicamus.

5 Cum & ipsa meritò donum, ac inventum Deorum à Cicerone vocitetur; eius Origo à D. O. M. repetenda est; primitùs Adamo infusa, prout fuit necesse ad debitam filiorum institutionem.

6 Sive interior, sive consulatur exterior homo, ipsi valde proficua censebitur.

LO

LOGICA.

1 **L**ogica verè , ac propriè scientia speculativa est.

2 In docentem & utentem partitur ; non tamquam in duos habitus , sed tamquam in duo munera eiusdem habitus.

3 Omnes alias scientias suo lumine illustrat, tamquam forma , decor , & scholasticum ornatum earum.

4 Adeo ut sine illa , perfecte nescies te scire.

Universalia.

5 Praeter conceptiones , & voces , dantur res , & naturae universales illis correspondentes.

6 Natura formaliter universalis est , non secundum se , nec ut existit in rebus , sed prout in intellectu concipitur.

7 Duplex est Universale , *Methaphysicum* , & *Logicum* ; illud per solam mentis abstractionem efficitur ; istud per comparisonem ad inferiora.

8 Species universalium , quinque : definitiones à Porfirio traditas , & dabimus , & tuebimur.

9 Speciem universalem volumus , non ut sub-iicibilem generi , sed ut superiorem ad individua.

Prae-

Praedicamenta.

10 Decem sunt praedicamenta, seu suprema rerum genera: *Substantia, quantitas &c.*

11 Constitutivum substantiae, est subsistere per se.

12 In hoc praedicamento D. O. M. dempto, etiam Christus Dominus cum omnibus aliis habentibus rationem substantiae continetur.

13 A substantia realiter differt quantitas.

14 Haec essentialiter consistit in extensione partium.

15 Ita ut sine illa nullas habeat partes substantiae, nisi radicaliter.

PHYSICA GENERALIS.

1 **P**hysicam esse scientiam speculativam nullus ambigit.

2 Eius obiectum melius per ens mobile, quam per corpus mobile censemus exprimi.

Principia rerum.

3 Prima, & intranea corporis physici principia, optimè ab Aristotele definiuntur: *Quae nec ex se invicem, nec ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt.*

Se-

4 Semel admissa hac de principiis genuina definitione, nec Atomum Epicuri, nec particulæ Cartesii, nec Recentiorum corpuscula sustineri possunt tamquam vera rerum naturalium principia.

5 Dari generationes substantiales, & experimentis, & ratione constat; nec ulla ratione solida possunt refelli.

6 Porro his semel constitutis, invictissimè persuademur, Materiam, Formam, privationemque, tamquam rerum legitima principia, non quidem sensu, vel imaginatione, sed mente & intelligentia praeceuntibus, propugnanda perpetuo fore.

7 Materia prima, ita est potentia substantialis in genere entis, ut neque naturaliter, neque divinitus existere queat sine forma.

8 Cum in rebus nedum accidentales, verum etiam substantiales mutationes experiri proculdubio existimemus, formas substantiales admittendas prorsus, ipsamet inspirante Naturâ, sustinemus.

9 In creatione primævâ rerum, simul cum materia ex nihilo formæ creatæ fuere: postmodum verò, in productione scilicet compositi generati, educuntur de potentia materiae.

10 Excipe iure merito rationalem Animam, quæ ut pote forma incorruptibilis creatur à Deo ubi primùm corpus est ad eius receptionem sufficienter dispositum.

Natura , Violentia , & Ars.

11 Naturam sumunt Physici pro radice intra-
nea illorum motuum , quos non agentis externi
vis extorquet á rebus , sed ipsae res sese ultró
effundere videntur. Quo sensu , missis aliis natu-
rae acceptionibus , sic eam ab Aristotele defini-
tam tradimus. *Principium , & causa &c.*

12 Violentia , quae naturae opponitur , ita
definitur : *Cuius principium est extra , passo non
conferente vim.*

13 Motus á superiori agente impressus non-
numquam inferiori naturae , quantumvis insolitus,
& diversus ab eo , in quem prona est , non est
dicendus violentus sed maximè naturalis.

14 A fortiori igitur motus á Deo creaturae
impressus , iuxta naturam erit.

15 Probabilius tamen videtur , Deum si velit
agere , ut agens particulare , creaturis posse vio-
lentiam inferre.

16 Ars naturae simia , optimè definitur: *Rec-
ta ratio factibilium.*

17 Plures naturae effectus , potestati artis
subduntur minimè ; quos inter praecipue verum
aurum enumeramus.

Causae.

18 Sive tempore , vel natura omnis causa
prior est suo effectu.

Qua-

- 19 Quatuor causae sunt sibi invicem causae.
- 20 Efficiens sic explicatur : *Principium extrinsecum à quo primo profluit motus.*
- 21 Ratio principii activi convenit etiam substantiis corporeis.
- 22 In Substantiis creatis immediatum agendi principium est accidens.
- 23 Causa agens in virtute alterius dicitur instrumentum : de cuius ratione est , quòd à causa principe moveatur.
- 24 Causae finalis notio hisce verbis concluditur : *cuius gratia aliquid fit.*
- 25 Omnia propter finem agunt : naturalia, saltem executive ; bruta , quasi apprehensive ; rationalia , directive.
- 26 Malo sub ratione mali , minimè convenit esse finem : solum ergo bonum verum vel apprens finis rationem habet.
- 27 Impossibile est eundem numero effectum produci à duabus causis totalibus eiusdem ordinis.
- 28 Sicut & effectus qui productus est ab una causa impossibilis est per aliam reproductio.

Motus.

- 29 Obscura sane , prima fronte , ab Aristotele tradita definitio motus : *Actus entis in potentia prout in potentia* ; sed quae clarissimè à nobis cum D. Th. explicabitur.
- 30 Unitas , & distinctio motus , tum generica , tum specifica desumitur à termino ad quem
ten-

tendit : numerica vero ex tribus , unitate , scilicet , subiecti , termini , & temporis.

31 Nedum recti , verum etiam circulares motus dantur à natura.

32 Commentitia est Epicuri , & Gassendi de gravitatis origine sententia.

33 Gravia deorsum moventur impetu intraneo illis indito ab Auctore naturae.

34 Vim elasticam aeris ipsi putamus intrinsicam , & innatam esse : aliorum vero corporum , aeri , seu spirabili corpori poris incluso , presso , aut tenso , tamquam causae tribuimus.

35 Plerisque rebus inest motus , quo uni accedere , & ab alio recedere affectant ; illum Sympathiae , hunc Antypathiae motum vocamus : uterque tamen innato impetu elicitur.

36 Communes leges motus & impetus ; speciales elasticorum , & in his fundatas reflexorum corporum , sciscitanti declarabimus.

Infinitum.

37 Infinitum est quod caret fine : aliud *Cathegorematicum* , sive actuale ; aliud *Syncathegorematicum* , sive potentiale nuncupamus.

38 Infinitum potentiale locum habere in creaturis extra dubium est : ast actuale non aliud praeter Deum agnoscimus.

39 Nulla datur magnitudo , vel qualitas infinite actu intensa.

Locus , & Vacuum.

40 Communis animi notio est dari locum : definitur optimè *superficies prima immobilis corporis ambientis.*

41 Est naturaliter impossibile ut duo corpora sint simul in eodem loco : possibile. vero virtute divina.

42 Sed neque naturaliter neque divinitus factibilis bilocatio corporis praesentia circumscriptiva , & quantitativa.

43 *Locus nullo corpore plenus* à Philosophis dicitur Vacuum ; si à corporibus separatum , *coactervatum* , si vero intra poros corporum solummodo sistens *disseminatum* appellatur.

44 Ipsum inducere conati sunt ex veteribus Democritus , Leuccippus , Epicurus &c. ex recentioribus Gassendus , Newtonus , Newtorianique universi , sed ut Plutarchus ait , à *Thalete ad Platonem usque* , *Philosophi naturam scrutantes* , *vacuum esse negaverunt* : quae opinio utpote rationi , naturae , & experientiae conformior , cum Aristotele , & Praeceptore Angelico à nobis suscipitur propugnanda.

45 Absit attamen ut Cartesio subscribamus tuenti , vacuum etiam virtute divina induci minime posse : quamvis Angelo facultatem inducendi vacuum denegemus.

Mun-

Mundus.

46 Circa Mundi originem innumeri, & immaniter erraverunt Philosophi: nos vero Scripturae Sac. testimonio innixi, eum in tempore conditum pronunciamus.

47 Nec plures, etsi possibles; sed unus effectus ab uno Deo.

48 Mundus in suo genere adeo perfectus est, ut nihil ei desit, utque sit omnibus numeris absolutus; ita praedicat Scriptura, natura personat, consentiunt Philosophi, ratio ipsa demonstrat.

49 ? A quot annis fuit conditus Orbis? ? Qua anni tempestate? Cum Scriptura referat mundum conditum sex diebus ? qua ratione accipi debeant hi dies? Si quaeras, nostrum erit aperire.

Coelum.

50 Coelum est, quidquid corporeum existit supra regionem Lunae inclusivè.

51 Substantia coelestis, est diversae rationis ab elementari, eaque nobilior.

52 Corruptibilitatem coelorum se veluti palpasse iactitant Recentiores; sed immerito.

53 Gratis fingatur coelorum fluiditas; ? ideo ne corruptibiles? Absit.

54 Soliditate pollent coelestia corpora, ipsis debita iure merito.

55 Planetarum diversos motus , figuram , & ordinem quaerenti extricabimus.

56 Vas admirabile , & per antonomasiam, Opus excelsi, dicitur Sol apud Ecclesiasticum cap. XLIII. Huic tam brevi, tamque sublimes elogio minime favet eorum opinio , qui eum habent ut ignem nostro similem , aut ignitum corpus.

57 Sol lucet , atque calefacit : ignis propriae dotes sunt : ergo ignis est ? futilis illatio , Soli indecora.

58 Solis maculas ; visibiliores , abundantioresque Lunae facili negotio explicabimus : sicuti amborum Planetarum Eclipses.

59 Corpora coelestia validissime agunt in haec inferiora.

60 Copernicanum Systema , ut Thesis vetitum , ut hypothesis insuficiens censendum ad explicanda Phaenomena naturae.

PHYSICA SPECIALIS.

Ortus , & interitus.

1 **E**st generatio , *transitus de non esse ad esse substantiale* : corruptio è contra *transitus de esse ad non esse substantiale.*

2 Num generatio sit actio ab alteratione distincta , subtilis inter Philosophos etiam Thomistas est quaestio : sed Praecept. Ang. praeeunte , ge-

ne-

nerationem in ratione actionis ab alteratione minime distinguimus.

3 In corruptione substantiali datur resolutio usque ad materiam primam.

4 Alteratio propriissimè sumpta definitur : *mutatio ad qualitatem disponentem ad generationem, & corruptionem.*

5 Alterationem proprie talem fieri quodam substantiali effluxu agentis in passo recepto, visum fuit Epicureis : nobis non ita ; sed propagatione, seu productione similis qualitatis alterativae ab agente in passo.

6 Intensio qualitatis non fit per depurationem à contrario, nec destructione prioris, & perfectioris novae substitutione.

7 Ergo fieri dicemus per adventum novae partialis qualitatis ? multo id minus. Intenditur solum qualitas per adventum novi modi perfectioris.

Elementorum mixtio.

8 Mixtio definitur ab Arist. : *unio miscibilium alteratorum, & contemperatorum.*

9 Nedum possibilem, verum etiam de facto dari mixtionem ex omnibus elementis contendimus.

10 In mixto perfecto haud remanent substantiales elementorum formae.

11 Cum nihil notius sit, quàm dari motus illos rarefactionis, & condensationis nominibus designatos, mirum quam in iis explicandis torqueantur Philosophi : caeterum nobis aperta via patet

tuen-

tuendo, rarefactionem nihil esse aliud quam motum ad raritatem; condensationem vero, ad densitatem.

12 In mixtione fit quidam contrariarum qualitatum conflictus, qui dicitur *Actio*, & *Reactio*: Quaere de his: ζ Darine possit actio inter similia? An ad actionem activitas agentis debeat esse maior resistentia passi. ζ Num omne quod agit, repatiatur agendo?

Anima in Communi.

13 Circa notionem Animae, apage Antiquorum deliria: Animam recte dixeris *Actum primum corporis physici organici potentia vitam habentis*.

14 Vulgata est, eaque optima divisio Animae in vegetativam, sensitivam, & Rationalem.

15 In vivente, anima quae omnes vitae functiones praestat, est unica.

16 Ergo cum Anima sit forma substantialis, una tantum substantialis forma viventia complet.

17 Indivisibilis est animantium perfectorum Anima: at plantarum & imperfectorum quorundam est per accidens divisibilis.

18 Sanguis, saltè perfectus, vivit, & animatur anima totius; item quatuor praecipui humores; at multo magis Spiritus, tum vitales, tum animales, quibus aliqui vitam, & animam perperam abiudicant.

Anima Vegetans.

19 *Principium proximum transmutandi alimentum in substantiam viventis*, dicitur *Potentia vegetans*: huius tres species, *nutritiva*, nempe, *augmentativa*, & *generativa*.

20 Hae potentiae, tum ab organorum dispositione, tum à calore innato, tum à se invicem distinguuntur.

21 Plantae vitam vegetativam agunt; minimè vero sentiunt.

Anima Sentiens.

22 Bruta animantia non sunt machinae mortuae, ut contendit Cartesius; nec ratione pollent, ut censebat Pythagoras; licèt donentur anima sensitiva.

23 Praeter internos, externosque sensus (quorum organizationem, media, & obiecta propria si placuerit exponemus) datur communis sensus ad cuius tribunal referuntur particularia sensibilia.

24 Species, quibus perficitur sensatio, non sunt commotiones fibrarum, aut spirituum; nec vana quaedam spectra, quibus nihil tale correspondeat in rebus; nec obiectorum substantialia effluvia; sed intentionales formae ab obiectis causatae.

Ani-

Anima Rationalis.

25 Anima rationalis definitur : *Primum ratiocinandi principium ; seu Actus primus, &c.*

26 Immortalis, & spiritualis existit, non gratia solum, sed natura.

27 Praecipua animae rationalis facultas est intellectus : *facultas, inquam, perceptiva entis sub ratione veri.*

ETHICA.

I **D**efinitur : *Facultas, quae versatur circa actiones humanas, invicem, & ad finem ordinandas.*

2 Huius facultatis materiale obiectum sunt actus humani ; formale, moralitas ipsa, quae adaequaté dividitur in bonitatem, & malitiam ; ratio verò *sub qua* prima principia practica.

3 Est verè, ac propriè scientia, simpliciter quidam practica, & à prudentia realiter distincta.

Ultimus finis, seu Beatitudo obiectiva.

4 Necesse est dari aliquem totius humanae vitae finem ultimum ; quique definitur, *illud quod homines propter se tantum volunt, caetera vero propter ipsum.*

Im-

5 Impossibile est homines plures ultimos fines simul, & semel habere.

6 Alia est felicitas obiectiva, alia formalis: illa in bono creato consistere potest minimé.

7 Igitur Deus solus est hominis increata felicitas.

8 Cum corpus, quod corrumpitur aggravet animam, & sensibilibus abditus intellectus ad Divina satis nequeat assurgere, perfecta felicitas, adhuc naturalis, in futura gloria, quae revelatur in nobis obtinebitur solum.

9 Nihilo secius tamen; cuilibet rationi compoti suppetunt media vitae praesentis feliciter suo modulo transigendae.

10 Sed ista etiam praesentis vitae imperfecta felicitas, minori bono infra Deum haud est collocanda.

Formalis Beatitudo.

11 Beatitudo formalis quoad essentiam non consistit in pluribus actibus.

12 Neque in actu appetitivae partis.

13 Ad hoc ergo tantum munus implendum, altissima potentiarum animae, intellectus scilicet, ordinatur.

Voluntarium, & Involuntarium.

14 Voluntarium est: *Cuius principium est ab*
in-

intrinsicco, cum cognitione finis : varias eius divisiones , percontati afferemus.

15 Violentia penitus voluntarium perimit; audi; quae proprie talis est, nempe, sufficiens, & absoluta.

16 Ignorantia quoque perimit voluntarium, sed non omnis.

17 Etsi metus voluntarium minuat; actio tamen ex metu facta, est dicenda simpliciter voluntaria.

18 Concupiscentia non tollit, sed potius voluntarium auget.

Voluntarium liberum.

19 Libertas propria voluntatis dos, ab eodem oritur fonte, á quo & ipsa voluntas: quintuplex dicitur, & est.

20 Quia periti ducis vestigia sequentibus, nihil invium, & inaccessum esse potest, praeunte Angelo Thoma, ipsos humanae libertatis fontes lustrare, ipsiusmet quantumvis occultas radices, intellectualis naturae visceribus latentes eruere promittimus.

21 Indifferentia, ex ipsa vi nominis, est; *quae unum perinde se habet ad plura*. Quatuor modos indifferentiae enodabimus.

22 Quae voluntas vult ex necessitate suae naturae, non vult liberè libertate arbitrii: ad istam ergo necessarió indifferentia requiritur.

23 Indifferentia, tum obiectiva, tum subiectiva, sive formalis, est de ratione libertatis arbitrii.

Ad

24 Ad libertatem arbitrii non requiritur absolute indifferentia contrarietatis, seu quoad specificationem; sed sufficit indifferentia contradictionis, & quoad exercitium.

25 Indifferentia moralis ipsammet libertatem commaculat.

26 Liberum arbitrium essentialiter definiendum, & dilucidé cum D. Thoma explicandum suscipitur á nobis.

Bonitas, & malitia humanorum actuum.

27 Actionum, quae ab homine fiunt pervulgata est divisio, in *actiones humanas*, & *actiones hominis*: hominis sunt, quaecumque ab homine fiunt: humanae vero, quae modo homini proprio fiunt.

28 Isto postremo sensu, si consideres actionem, sive humanum actum, nullum in individuo indifferentem agnoscimus; sed necessario bonum vel malum, esse docet Angelicus: si vero consideres ipsum secundum speciem suam, muta iudicium.

Regulae morum.

29 Prima totius honestatis, & bonitatis remota regula pro actibus humanis in debitum finem ordinandis, est lex aeterna; quam apprime D. Th.

definit : *Rationem divinae sapientiae , omnia in debitum finem dirigentis.*

30 Proxima , immediataque moralitatis regula , est ratio humana ; quae eodem Ang. Praecepto docente , derivatur à lege aeterna , tamquam eius imago propria.

31 Leges tam Ecclesiasticae , quam civiles ; conscientia itidem , quae definitur *ratio actu dictans quid fugiendum sit , quidve prosequendum ;* sub duabus regulis assignatis comprehenduntur.

32 Lex , à *ligando* dicta , quod liget seu obliget , ex S. Th. I. II. q. XC. art. I. ; vel à *legendo* , quod legi , & promulgari debeat , ut vult Isidorus ; aut quod in ea *iustum* , & *jus* legatur ex Cic. lib. II. de Leg. definitur ab Angelico , *Ordinatio rationis ad bonum commune , ab eo , qui praeesit communitati promulgata.*

33 Divisiones legis in naturalem , & positivam ; naturalis , in essentialem aeternam , & naturalem participatam ; positivae , in divinam , & humanam ; audies in circo , si interrogas.

Virtus in communi.

34 Virtus est , inq. M. P. Augustinus , *Bona qualitas mentis , qua rectè vivitur , & nemo male utitur.*

35 Omnis virtus moralis est in medio posita.

36 Virtute morali nemo per se ac proprie abuti potest.

Di-

Divisio Virtutis Moralis.

37 Virtus moralis vulgò, & rectè dividitur in quatuor generales species, *Prudentiam*, videlicet, *Justitiam*, *Temperantiam*, & *Fortitudinem*. Harum filias, omniumque definitiones, quaerenti aperiemus.

38 Circa iustitiam (ut in iudiciis publicis exercetur) & fortitudinem in particulari, tuemur: Judicem iudicare teneri iuxta, allegata, & probata etiam contra propriam scientiam: Suicidium, actum ignaviae potius quam fortitudinis esse dicendum; nec licere, nisi iubente Deo.

METHAPHYSICA.

1 **E**Xistit Methaphysica, tamquam vera, imo, superior scientia.

2 Eius materiale obiectum, est ens reale, prout comprehendit creatum, & increatum, substantiam, & accidens: formale vero, est communis ratio entis abstracti ab omni materia.

Principia Entis.

3 Principia entis Methaphysica, alia cognitionis, compositionis alia: ea sunt quae ad eis
no-

notitiam ducunt ; ista , ex quibus ens , ut ens constituitur.

4 Loquimur de primo cognitionis complexo principio ; istud est : *Impossibile est , idem simul esse & non esse.*

5 Principia Methaphysica entis constitutiva, duo sunt praecipue , *Actus & potentia.*

6 Ens dicitur absolutè , & primariò possibile ex non repugnantia ad essendum : secundario tamen , & respectivè , ab omni potentia divina.

7 Ens , non univocum , sed analogum est dicendum Deo & creaturis ; substantiae , & accidentibus.

8 Cùm in creaturis actus & potentia realiter distinguantur, essentiam, & existentiam in ipsis toto zelo differre fatendum est.

Ens spirituale.

9 Existentia Dei naturaliter demonstrari potest : blaterent Atheistae.

10 Dantur in universo substantiae incorporeae, quae dicuntur Angeli.

11 Hi intelligunt per species à Deo infusas ; & invicem loquuntur per directionem conceptuum.

12 Angeli praesunt cunctis corporibus ; sibi-que possunt aerea corpora efformare ; in quibus licet non exercent opera vitae , attamen omnia quae rebus vitalibus competunt , exercere possunt secundum apparentiam.

Ani-

Anima separata.

13 Intellectus, & voluntas formaliter insunt animae separatae; potentiae vero sensitivae, tantum radicaliter.

14 Anima separata retinet habitus, & species cognitionum quas hac in vita possedit.

15 Alias tamen infusas à Deo recipit, quibus vis eius intellectiva perficitur.

Influxus Dei in causas secundas.

16 Deus potest physicè praemovere causas naturales ad agendum.

17 Nec solum naturales & necessarias, sed liberas quoque, eas, scilicet, activè, praevie, intrinsecè, & infallibiliter ad operandum applicando.

18 Datur ergo Praemotio, seu praedeterminatio Physico-Thomistica.

Imprimantur,
Dr. D. Ferdinandus à Redondo,
& Portillo, Univ. Rect.

Vt. Dr. Orihuela,
Cens. Reg.

13. In the first part of the paper, the author discusses the general principles of the theory of the origin of life, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the first living organisms.

14. In the second part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of animals, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of plants.

15. In the third part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of minerals, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of rocks.

Appendix B: In the course of the paper.

16. In the first part of the appendix, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of animals, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of plants.

17. In the second part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of minerals, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of rocks.

18. In the third part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils.

19. In the fourth part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils.

20. In the fifth part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils.

21. In the sixth part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils.

22. In the seventh part, the author discusses the various theories which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils, and the various hypotheses which have been advanced to explain the origin of the different classes of fossils.

